Fragmentarium

Qui et corporis inmortalitatem suis ostendit discipulis
et lumen divina luce coruscans sibi simul inesse docuit.
Potest etiam in lilio rependendo ipse mediator dei et hominum
propter passionem mortis gloria et honore coronatur non
inconvenienter accipi. Qui ante passionem quidem suam
quasi clausum adhuc lilium fuit cum signis miraculorum
quae fecit clarus homo refulsit. post resurrectionem vero
et ascensionem suam rependi se lilium superna ac patente
cunctis exhibuit quibus in adsumpta humanitate potentiam
divinae claritatis quam habuit apud patrem priusquam mun
dus esset ostendit. Unde et in memoratis canticis libri se vocabu
lo dignatum voluit dicens. Ego flos campi et lilium convalli
um. Labium ergo maris in quo sacerdotes lavabantur.
Quasi labium fuit calicis et folium repandi lilii. quia lavacrum
salutare quo membra summi sacerdotis efficimur in fide
nos sacrosanctae passionis eius a peccatorum omnium labe
purificat ac purificatos ad visionem gloriae ipsius perennis
intromittit. In quo nimirum lavacro utrique populus ex cir
cumcisione videlicet et praeputio per fidem spem et dilectionem
unum in Christo efficiuntur ipso attestante qui circumcisioni
per se praedicans ait. Et alias oves habeo quae non sunt
ex hoc ovile et illas oportet me adducere et vocem meam audient
et fiet unum ovile et unus pastor. Quod in hoc quoque mari
aptissime figurabatur. nam subditur. duo milia batos capie
bat. Millenarius namque numerus pro significatione perfecti
onis solet poni in scripturis. quia nimirum denarium numerum

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – [sine loco], codices restituti, Lyon, BM, 788, f. 87-88 + Paris, BNF, Baluze 270, f. 107-108.132-158, ParisBNFBaluze270_301_f143r – Bede, <i>De templo Salomonis</i>, annotated by Florus of Lyons (https://fragmentarium.ms/view/page/F-v2mv/426/6253)